177427 I

SIGISMVNDI III. POLONIÆ ET SVECIÆ REGIS,

Duce Ioanne Zamoiſcio,

Ex Michaele vtriusque Valachiæ & Tranſiluaniæ Tyranno

INSIGNIS VICTORIA.

Per Staniſlaum Bartholanum in bello deſcripta.

Ad Illuſtrem Hieronymum Goſtomski de Lezenice, Palatinum Poſnanienſem, Capitaneum Sandomirienſem. &c. &c.

EX campo Martis, portantur Martia dona:
Nunc per me dentur, cur tibi Palladia?
Quæres? Nam Pallas pariter Dea, Martis & Artis:
Cui mens Arte viget, membraq; Marte rigent.
Hinc haſtam, galeam, ac vmbonem, corpore geſtat:
Ore premit tacito, maxima conſilia.
Hoc donum, tenuemq; licet præſeferat Artem:
At Martis SARII, *fortia bella canit.*
Teq; decet: Pallas ſummo quem ditat honore:
Quem Mars ipſe ſuis, muneribusq; beat.

CRACOVIÆ,
Ex officina Andreæ Petricouij. Anno Domini, 1601.

Sigiſmundi III. Poloniæ & Sveciæ Regis,

Duce Ioanne Zamoiſcio,

Ex Michaele vtriusque Valachiæ & Tranſiluaniæ Tyranno

Inſignis Victoria.

Per Staniſlaum Bartholanum in bello deſcripta.

Conſilium cælo genitũ, ſupremaq; Diuûm (ſunt
Fata: quibus ducib⁹, magnus ZAMOISCIVS, au-
Multanũ frænare trucem: Polyhymnia plectro
Auſonio reſona: factum miretur vt orbis,
Quò maius nullum, præſenti contigit æuo.
Pax erat in Regno Lechi, pax aurea, qualis
Vel ſub Saturno, vel primi tempore fulſit
Auguſti: quando Michael, Græco patre natus,
Et Græcæ fidei, genio ſtimulatus auaro,
Arte doliſq; prius, Multanis fortè potitus,
Poſt Tranſiluanos, illorum Principe cæſo,
Subiugat: ac ſola Moldauum fraude fugauit
Exterra, veteri deuincta lege Polonis.
Libera corda quibus, ſpe ductus pacis eorum,
Vi ſubita celeriq; iugo, laqueare volebat.

Scilicet ex voto latronibus omnia cedunt.
Iuppiter hoc immane nefas speculatus Olimpo,
Conuocat excelso residentia numina cælo:
Saturnum, armisonum Martem, mentisq; sagacis
Mercurium, roseo Phœbum vultuq; nitentem:
Talia verba quibus, diuino protulit ore.
Perfida gens, ductu Græci fallacis, acerbis
Vulneribus, pariter Diuos, hominesq; lacessit.
Sacrilegis aras manibus, pia tecta rapinis,
Innocuos gladio, castissima vincula probris,
Synceros astu, seruili lege solutos:
Denique, cæde, foco, vitiis, aliena profanat.
Nec putat, è cælis vindictam instare malorum:
Præsidio & firmo muniri innoxia corda.
Si casu, nostrum variari intelligit orbem:
Fallitur, Arbitriis diuinis sceptra reguntur:
Cunctaq; diuino voluuntur cardine regna.
Decretum est igitur Græcum punire scelestum.
Per quem res peragi possit, perquirere vestra
Vota mihi primò visum est. Licet hunc ego vellem,
Qui gemino Bruto, & geminis Scipionibus esset
Persimilis, quorum vt Romam seruauit vterq;:
Sic idem regnum possit seruare Polonum.
Papirio, Cincinnato, Furioq; Camillo,
Saturnus voluit similem: Cyllennius autem
Talem, qualis erat quondam Hannibal, atq; Philippus
Rex Macedo, paribus clari virtutibus ambo.

His interfatur, prudens consultor Apollo.
Quid multos, inquit, percurritis ore potentes,
Illa ætate viros? vnus ZAMOISCIVS *illos*
Continet, atque Duces vnus complectitur omnes.
Papirios, Cincinnatos, Furiosq́ Camillos,
Hannibales, Brutos, Scipiones, atque Philippos:
Et quos vox numerare omnes, vix ferrea possit.
Illius est nobis, virtusq́ fidesq́ probata,
Contra inimica Diis, imitantia facta Gigantum
Pectora: quæ terris nos supplantare volebant,
Et regimen nostrum: iustis quod partibus orbem
Diuidit, & gentes distincto limite claudit.
Senserat hunc Teuto, Moscus, Geta, Turca: superbus
Sentiat & Græcus victorem sentiat iste.
Excessus similes, similis quoque pœna manebit.
Annuit his Phœbi dictis astræa corona,
Hancq́ voluntatem, solio demisit ab alto,
In magnum Sarij pectus: quam firmius imo
Pectore dum fixam sentit, cernitq́ salutem
Communem hac niti, varias conquirere cœpit
Mente vias tacita. Scit iam Respublica quòd sit
A multis deserta: videtq́ manere lacertas,
In gremio matris: quæ partim viscera mordent
Illius, externis partim laniatibus illam
Exponunt: sibi totam incumbere denique molem
Conspicit: hancq́ sibi deferri cælitus audit.
Ad superos ergo conuersus talia supplex

Fundit cum lachrimis tristi de pectore verba.
Quod maius scelus est, patriam quàm velle perire?
Proch dolor, ecce volunt multi: seruare iubetis
Illam me solum, vobis parebo libenter:
Et vestro fultus, tentabo iuuamine cuncta.
Admouet inde manum facto, Regisq; tabellis
Per regnum sparsis, potuit quos congregat omnes:
Cum quibus, in patriam versum prosterneret hostem.
Non desunt inter pungentes lilia spinas:
Sed veluti primi, rutilant post frigora flores;
Sic post Sauromatis monstrata pericula, primus
Flos Procerum, subitò cœpit concurrere ad arma.
Zbarasii, Visnouiecij, Hotkeuicij, & ambo
Danielouicij, tum cœtus Potociorum:
Tecinij, Herbolti, & pulchrum decus Ostrorogorum,
Lascij, Vrouiecij, Firlæi, Tarnouijq;,
Sieniauius, Karnkouius, & Vapouius: omni
Denique Sarmatiæ Procerum de sanguine primi,
Quos vix longa nimis complecti pagina poßit.
Neruus adhuc aberat belli: Respublica discors
Quem non contulerat: sed dux ZAMOISCIVS *ipse,*
Ipse suas & opes & vitam, cunctaq; chara,
Vnica spes matris, matri obtulit, vnica planè
Anchora, pro cunctis se fluctus contulit inter:
Vnius auxilio, ne publica cimba periret.
Fœlix qui vitam tali ratione gubernat,
Vt iacturam eius faciat, quando vrget honestum.

Fœlix

Fœlix diuitias qui ſic expendit in vſus
Luxuriæ penitus vacuos, vt tempore certo,
Dîs, patriæ, ſibi, tum cognatis, ſeruiat illis.
Ergo pater patriæ, ſpes, anchora, vita, ſalusq́;
Sarmatiæ, mediis ad bellum rite paratis,
Vt verus cuſtos, verus Dux ipſe præiuit.
Primaq́; Gliniani ſtatio, Treboulia verò
Altera ei fuerat, multis habitata diebus.
Tandem poſt Scallam fuerant dum caſtra locata:
Aduenit patriæ, ſpes altera & alter Achilles,
Zolkieuius campi Ductor, cum gente: ſceleſtum
Qua Naleuaikum vicit, qua limen ab hoſte
Defendit patriæ, veteres vnitq́; cohortes
Conſcriptis nouiter, coniungit caſtraq́; caſtris.
Hîc in concilio Procerum numeroq́; frequenti
Militiæ, Dux hoc omnes ſermone petiuit.
Dîs grates refero, patriæ flagratis amore
Quòd mecum, ſomnum & quorundam temnitis altum:
Sub quo Multanus, terras partitur auitas
Veſtras, ô clari Proceres. Hic mœnia Craci,
Sarmaticiq́; (inquit) teneat primordia regni:
Iſteq́; Lituanos, tu prata Podolica, at ille
Liuones: horret reliquum ſed lingua referre.
Sparta hæc veſtra, ſacro maiorum ſanguine conſtat:
Proch dolor, hancné lupum vilem laniare ſinemus?
Raptaq́; poſt nobis Moldauica iura ſuperbit:
Armis prædo ferox noſtrisné ferociet in nos?

Quid mul-

Quid multis opus est? Vestrarum incendia fumant
En iam villarum: populari nostra sinemus?
Talia non patitur Lechi generosa propago.
Quare communem læti tendamus in hostem:
Vos precor, ô Superi, iusto benedicite bello.
    Dixit, & astantes generoso corde fremebant:
Offerriq; sibi latronem protinus optant,
Ut citius pœnas ex illo sumere poßint.
Tunc alacres auidosq; iubet prodire, noueno
Agmine distinctos, facilis progressus vt esset.
Ordine Mars floret, fundatur in ordine bellum.
Tuq; præis forti Zolkeui pectore primus,
Ut frangas primam glaciem, & sitientibus armis
Obtrudas hostem: tua post vestigia tendunt
Fortis Sobiesius, fortis tum Golscius: instat
Indeq; Urouiecij, tum Potocij, & Ducis agmen
Herbolto duce: Myscouius, Droiouius, acri
Cum Strusio, turmatim alios in fine sequuntur.
Tunc sua procedunt currus post agmina: currus
Mobilis vrbs, comitansq; penu, currentia castra.
    Quando iam rapidi spumantia littora Niestri
Gensq; inimica metu pauitans, trans littus adesset;
Dux prius igniuomis mortem spirantia buccis,
In scopulo tormenta locat: sic fortibus alis
Agmina cincta, vado, fluuij transire profunda
Effecit: iustis respondent omnia votis.
Tunc Udra & Delmarco, fugæ se fidere paßim
Incipiunt.

Incipiunt. Fuga latrones demonſtrat, at acris
Signa viri, rigido ſuperare pericula ferro.
Hoc Turca aſpiciens partim lætatur adeſſe
Hoſti iam finem, Turcarum clade ſuperbo:
Partim Sarmaticis cingi ſe viribus horret.
Nam ceu communem, lacerari à Tigribus vrſum,
Aſpectare procul iucundum: rurſus habere
Indeq; vicinos, gelidi res plena timoris:
Sic res iſta metum Turcis & gaudia profert.
Quare legati varij mittuntur, vt imus
Conſtet iis ſenſus. ſed verba ſeni dare cauto
Durum. Chriſticolæ paganica retia norunt.
Ergo velut prædæ fugientis, tergori adhæret
Venator: ſic diuinus ZAMOISCIVS, *hoſtis*
Tergoribus Valachi, lætis incumbere turmis
Non ceſſans, illum victrici Marte laceſſit.
Aut ergo capita, aut capti, aut vexilla feruntur:
Progreſſu in medio, læti prænuntia finis:
Effectus belli fauſtos exordia monſtrant.
Non tamen hinc quidquam vigili de mente remittit
Dux prudens: ſed fortunam vitream eſſe recordans,
Frangi dum reſonat, toto conamine cuncta
Exercet: ſummo ſuperat ſudoreq; cunctos
Peruigilis ſtudij, ſociis exemplar vt eſſet:
Fortunamq; labore graui ſibi mancipet, vt quo
Ipſe velit, ſemper fortuna ſequatur eundem,
Sors niſi ſit deſerta, prius non deſerit vllum.

Tandem traiectis, Pruto, Dziezaque, Soczauam
Metropolim gentis venit: quæ desuper arcem
Munitam retinet, tunc hostis milite plenam:
Interea verò Kapturi, præfuit arci,
Vir dubiam belli sortem, tentare paratus.
Radices vrbis lambit: sinuosa Soczaua:
Post cuius sparsas diuersa parte paludes,
Castra locat: primo murisque carente recepta
Vrbe, foco & ferro perfringere destinat arcem.
Sed sacra fata, trahunt aliorsum: nuntius alto
Aethere delapsus, summo demissa Senatu
Talia verba, Ducis placidas immisit in aures.
Maiorem campum, virtus tua, magne requirit
ZAMOSCI; totus maiora expectat & orbis,
Quàm castelli huius ferre expugnatio possit:
Longior obsidio paucorum, quam tibi reddet
Materies laudis Michael, quem vincere debes,
Et cuius tua deposcit Respublica cladem.
Quare age, rumpe moras, fatis procede secundis,
Contra Multanos: quibus hinc latrone fugato,
Pro libito Dominum statuas, noua iura nouasque
Leges imponas: quorum moderamine læti
Esse queant: fessi placidaque quiete fruantur.
Nam qui aliena rapit, meritò sua perdere debet:
Et bona ab indigno, diuina potentia transfert.
Dicta Duci placuêre: licetque fuit breue tempus,
Et res magna nimis: duplex prouincia namque,

Multis

Multis æqualis protenso limite Regnis,
Mensibus ex latrone fuit lucranda duobus.
At quia nil magno magnum est, iter arripit illuc.
Ad summum virtus, summo conamine tendit.
Interea Michael trans Alpes hæserat, oram
Transiluanorum, furibunda cæde cruentans.
Illuc Potocium præmisit, Dux prius omnes
Explorandi aditus causa, recta quibus ire
Contra latronem statuit, post saxa latentem.
Prædo fugit campos, rupes ac inuia quærit,
Conspicuo & Marti pauidus se fidere non vult.
Sed quæ petra rigens niuibus, quæ ferrea turris,
Diuino possunt aditus prohibere furori?
Transilit & montes, & aquas, & mœnia, forti
Otior & vento, assequitur vindicta scelestum.
Nam fælix, Scucio post pacta sub arce relicto
Dux, ad Moldauam fluuium tum castra locabat:
Cùm Transiluani, postquam sensêre Polonos,
Arma suum contra rigidum sumpsisse Tyrannum.
Hunc subitò dextris vltricibus vndique cingunt.
A quorum iusto dum se seruare furore
Arrepta trepidante fuga, confideret: imum
Cæcus, in interitum ruit: euitansq; Charybdim,
Incidit in rapidam certus de littore, Sirtim.
Quô fugit, hûc celeri tendebat Sarmata cursu,
Rumpere Bistrzicæ quem non potuêre fluenta,
Angustum nec iter siluarum, vel propè Bacow,

 Vel pro-

Vel propè Romanow, dudum desuetaq; callis
Circa Foxani: terrarum vbi meta duarum.
Quando sub Bodzow (Multani Principis olim
Quæ prima vrbs fuerat) ventum fuit: obuia fama
Aduolat, inuisum Michaelem instare propinquè,
A Transiluanis vltrici Marte fugatum,
Sauromatas contra, populum viresq; parantem.
Quare firmauit gentem ZAMOISCIVS illic,
Castraq;: tunc Austrum versus, quæ templa tuentur,
Bombardis intus positis stringentia campos.
Multiplici torrente latus Boreale reuinxit,
Distractum flumen Bodzow: circumq; coronant
Connexi currus, subitis insultibus apti.
Illuc Potocius rediit, fulgentibus armis,
Et virtute nitens: qui prima pericula belli,
Ingenio, & verè generoso pectore vicit:
Præruptas dum, Sarmaticus velut Annibal, Alpes
Præuius ad Transiluanos cum milite transit.
Conflictus primi, & nactus præclara trophæa,
Post redit, explorata ferens commissa, suosq;
Mirificè recreans, animansq; ad fortia bella.
Sicut ab adiectis surgunt incendia tædis,
Vnius exemplo sic belli audacia crescit.
Hûc quoque Kosaci veniunt, ter dena ferentes,
Et septem vexilla, feroci milite plena:
Quos frustra voluere malo tardare susurro.
Omnibus inuictum, vincit contraria verum.

Hûc &

Hûc & Moldaui celsis ex rupibus atque
Ex siluis, belli fortunam prospicientes
Accurrunt trepidi. Gens quæ caret arcibus illi
Se reddit, felix ad quem victoria tendit.
Hûc à Kapturi, legati scripta tulêre,
Soczauam quibus, accepto sub fœdere, dedunt.
Hûc & fama volans, à multis ante diebus,
Nuntiat, intenti lecto populi grege cinctum,
Versus eam partem, Michaelem tendere: quô iam,
Ignarus fuerat gentem venisse Polonam.
Et præit & sequitur, præceps vindicta malignum.
Incurisse videns in se ZAMOISCIVS illum,
Oblatum sensit, sibi iam diuinitùs esse,
Præmia pro meritis scelus vt condigna referret.
Quare venator præda de forte reperta,
Sicut lætatur sua mox & retia tendit:
Sic lætus belli ductor, læta agmina contra
Latronem ire iubet: quem primò in montibus altis
Conspexit, latè diuersa per inuia gentem
Monstrantem iuga. Marte timet concurrere latro,
Spes eius dolus est. spes est incursio fallax.
Hunc contra bello, fortis contendit aperto
Dux: latus & subitò prima virtute sinistrum
Concutit, hoc autem diuersa cæde cruentum
Per colles fugiens, exanguia corpora linquit:
Deserit & passim proiecta insignia belli,
Deserit & socios viuos in vincula raptos.

 Iam quoq;

Iam quoque captiuos, vinclis onerare molestum:
Bruta armenta velut, pelluntur fuste gregatim.
Res indigna, feras imbelles fune ligare,
Fortes vincla decent, fortes onerantque cathenæ.
Inde latus dextrum feruens petit: arma sed illud
Detrectans conferre, fuga trepidante recedit.
Vallis vtrinque fuit tunc interiecta, per illam
Sarmata transiliens, montes cursim petit altos:
Ac totam frontem, quamuis conamine anhelus
Inter præcipites saltus, de monte gregatim
Depulit, ense truci pauitantia tergora cædens.
Demum Multanos cernens se præpete cursu
In collum planè dare, sese colligit, atque
Sanguine cæsorum spumantia tela recondens,
Agmina cum lætus spoliis ad castra reduxit.
Altera lux oritur, quæ vix radiare sereno
Cœperat exortu, cùm castris aggere cinctis
Excurrit Michael, cursumque capeßit ad Alpes:
Persimilis lupo, ouans viridi quem commouet antro
Insectatorum series: tunc percitus ille
Aufugit ad montes, multoque exercita ferro
Saucia terga trahens, angusto forte reperto
Hæsit in ingressu: quò cùm penetrare cohortes
Non possent auidæ (nam nox & fossa fuêre
Illis obstaculo) penetrauit ferreus imber.
Quis tua ZAMOISCI referet præconia dignè!
Quæ tunc es meritus, quando ad Plouestе relictis

Castris,

Castris, delectu sumpto de gente Polona,
Illo sic hostem victrici robore sternis,
Vt fulmen cælo descendens obuia rumpit.
Est vallis per quam celebris via tendit ad vrbem
Brassouiam à Plouefte, tribus circumdata circum
Montibus: ingressus cuius fluuio, atque palude
Alluitur: portæ speciemq́ referre videtur
Silua, locus belli celandum natus ad astum.
Hìc fuerat portus, certum & Michaelis asyllum,
Quò vitare fuit solitus discrimina belli.
Hìcq́ latens, veluti Pluto consueuerat alter,
Sæpius innumerum in Turcas immittere lethum.
Hìc quoque tunc triplo maiorem, gente Polona,
Inclusum tenuit populum, quo nocte volebat
Irruere in fessos. Vigilanter sed leo dormit,
Sentit & in medio celata pericula somno:
Sentit & anticipans hostis ZAMOISCIVS ausum,
Magna difficiles accessus menteq́ vincens,
Illic certamen statuit committere summum.
Summa petunt aquilæ, quæruntq́ ferocia tigres:
Corpore nec vili, triplex immergitur hasta.
Ergo primates tacito sermone petiuit.
Nunc animis magnis, cur non inuadimus hostem?
Ac insperatis subitò non vincimus armis?
Victricis fœcunda parens occasio belli.
Eia agite, ac mediam post noctem surgite mecum,
Auxiliante Deo cras est vindicta malorum

Nostrorum

Nostrorum facienda: virens cras palma laborum.
Nondum sol vultu, cœpit radiare corusco,
Quando iubet castris alacres exire cohortes
Dux lætus, sentit casus mens læta futuros.
Etsi non frustra, veteres prænuntia seruant,
Hæc in progressu nuper portenta fuêre.
Bis senæ flagrante die, stridentibus alis
Lætantes aquilæ cœtus cinxêre corona.
Nocte sub obscura, visus radiare deinde
Sanguineis Aquilo fulcris terrentibus hostem.
Sed nec in ingressu belli præsagia desunt:
Illuxit Phœbus, neque Dux deuenit ad ipsum
Hostis conspectum: noctem cùm Iuppiter atra
Protraxit nebula, quæ illum deduxit ad ipsa
Ostia castrorum Michaelis: ibiq; locato
Disparet. Iustis cœlum ac elementa fuêre
Sæpè ministerio: Iosuæ sol promouet olim
Ultra puncta diem: noctem astra benigna retardant
At tibi ZAMOISCI: *tua virtus subdit olympum.*
Postquam dillapsa nebula, deuenit ad hostem
Dux: in monte locat maiora tonitrua belli,
Castra quibus, gentem ac Michaelis in ordine stantem,
Hinc bene conspicuam, hostili ratione salutat.
Ac veluti, quando prædonum turba coire
Sæpè solet, rigidæ cædis tum plena rapinæ:
Et quasi nil sperans tuto requiescit in antro,
Tum vindex iustus, rutilantia fulmina cœlo,

Spargit

Spargit in incautos: quæ crebra morte lacessunt
Latrones: illi & culpæ formidine moti,
Et grandi rumore tremunt: pauitantia toto
Corpora disiiciuntq́ue specu: sed sæua furoris
Euitare suo nequeunt conamine tela.
Sic actum fuerat cum istis prædonibus, alto
Quos ex monte, feris ZAMOISCIVS ictibus ante
Quàm poterant vnquam sperari concutit: illi
Et sceleris morsu trepidi, quòd fraude Polonam
Vastarent terram, crebra rabieq́ue globorum
Exanimes facti, nunc hûc nunc protinus illuc
Turmatim currunt, sequitur quos forte tonitru,
Glandeq́ue fulminea passim per compita sternit.
Postquam mens hostis benè iam conspecta, locoq́ue
Agmina tormentis contraria mota fuissent:
Iamq́ue omnes currus, tentoria, castraq́ue cursim
Arripuêre fugam: Dux in quæ immittere gentem
Noluit: adferret cupidis ne præda ruinam.
In dextrum primò, tandem cornuq́ue sinistrum,
Ac ipsam frontem, certas iubet ire cohortes,
Ipseq́ue post acies sequitur, si forte vacillent
Adiuuet vt primos: belli fluctusq́ue retundat.
Tunc omnes magno concussi laudis amore,
Per valles, per aquas, per siluam præpete cursu
Ardentes pugnæ currunt: ac quisque perennem
Conciliare sibi laudem in certamine tendit.
Magnum calcar honos, magnum certamen honoris.

 Limosum

Limosum primo Telasin fluuium, inde paludem
Traiiciunt pedites: quibus & cum gurgite lato,
Et cum Multanis fuerat certamen habendum.
Eminus at postquam, bombardis littore pellunt,
(Tunc quoq; quem tormenta alto de monte petebant)
Tandem vulneribus pressêre ferocibus hostem.
Iamq; labor tantæ cædis, sudore furentem
Opplebat pediti vultum, cùm parte sinistra
Accurrit delectus eques, mox parteq; dextra
Kosaci penetrant, summo conamine siluam,
Vis postquam, paßim insistens, inimica latebat.
Ergo Kosacos hàc irrupisse videntes,
Quâ non sperauêre, dolos celasseq; frustra
Dum cernunt: ceu nil aliud restaret iisdem,
Quod possent tentare, fugæ se fidere totos
Incipiunt: alij protensa calleq; currunt,
Conscendunt alij montes, ac arma molesta
Abiiciunt laßi, leuior fuga constet vt illis.
Quos primi cædunt equites peditesq; Poloni:
Qui ceu falx segetem, sic illos ense metebant.
Tunc quoque Sarmatici primaria robora Martis,
Accurrunt acies hastatæ, hostemq; sequuntur,
Feruida percupidi restinguere sanguine tela.
Fluctuat omnis ager, tepido iam sanguine, plena
Prata cadaueribus: quando cantare recœptum,
Extremæ & cædi Dux clemens parcere mandat.
Non sic terribilis, capreis fit turba leonum:

Sicut erant ter quinque Polonica millia, tetri
Quinquaginta simul collectis millibus hostis,
Et paucas poterunt annales dicere pugnas
Huic nostræ similes. complent hostilibus arua
Nam dum cuncta cadaueribus, cecidêre Poloni
Tunc tantùm duo. Rara carens victoria damno.
Quô tua tum Michael rabies, quô denique cessit
Hectoreum robur? quô dextra armata feroci
Ense, tuis portas inimica per agmina pandens?
Cuncta velut fluctus, consueti mergere naues,
Sarmatici ad scopulum Martis, contrita resultant.
Alta petis iuga? iustè, nam nimium alta petebas.
Pronus equo fugiens ruis? & tua tota vicissim
Sors tecum ruit; ac toti denunciat orbi:
Momento à prauis Superos transferre coronas.
Post solitas laudes, Christo gratesq; solutas,
Quas Dux in terra supplex prostratus agebat.
Altera lux spoliis fuerat concessa legendis:
Quâ, vexilla Duci, centum terdenaq; portant:
Aduoluunt quadraginta tormenta, trophæa
Multaq;, Sarmatico victrici parta labore.
Indeq; aceruatim conduntur, cæsa sepulchris,
Corpora: quæ scopuli supra texêre recentes,
Mansurum cladis monumentum in sæcula cuncta.
Sic iam priuato, sceptris Michaele tyranno,
Hieremiæ Mohilæ, Moldauica dedita terra:
Simeoni fratri, Multanica, vtrisque Polonis

 Nobilibus:

Nobilibus: sed ea sub conditione, duobus
Sauromatæ & Valachi, nullum discrimen vt esset.
Publica res gaude, tanto decorata Patrono,
Vitam pro meritis, illiq; precare perennem:
Perpetuo vt viuat, viuat ZAMOISCIVS æuo:
Qui te à quadruplici deffensam cardine mundi,
Nunc etiam duplici terra dilatat ad Austrum.
Et tu SIGISMVNDE simul, Rex inclite, gaude,
Lumine tam claro cuius diadema refulsit:
Et cui Dux talis, tali cum milite seruit:
Cum quo dum bello furibundo dimicat ille,
Magnus Alexander, multisq; sibiq; repente
Qui visus fuerat, totum & compleuerat orbem
Herculea fama: summa cum laude tuorum
Inuentus pastor gregis: & sic victus ab illis,
Illorum vt cuncto vigeat victoria sæclo.
Cùm sit conspicuum mundo, sic esse: quid obstat?
Cur Romana fides, tali Duce prædita, duris
Non se compedibus Turcarum liberat? acris
Curq; Polonus eques, campis non pellit apertis,
Germanusq; pedes, non deiicit arcibus, hostem
Romanæ fidei, vitæ, charæq; salutis
Communem: communis vtrisque vt fama resultet:
Posteritas similes, statuatq; duobus honores.

VALACHICÆ VICTORIÆ
IOANNIS POTOCII CORONIS.
Per Stanislaum Bartholanum scripta.

NEc tua, POTOCI, præclara silere trophæa
Musa potest: quæ tu vestigia magna sequutus,
Virtutis Zamoscianæ, hac ratione parasti:
Quali lætatur, soboles generosa leonis.
Nam leo dum laniat prædam, plerumque relinquit,
Semianimem hanc auido comiti, virtutis vt eius
Splendorem elliciat: lætus consurgit at ille,
Denuò luctantem, sternitq́ ferociter hostem.
Sic leo Sarmaticus Valachis processit in oris:
Iudicium cuius diuinum ac ritè beatum,
Nunc quiuis dicat, grauidam quòd litibus oram
Antinoo similem, comiti commiserit illi,
Qui spem concæptam de se superauerit omnem.
Est Deus in magnis heroum mentibus ima:
Atque Ducum semper præcordia, fata gubernant.
Ergo POTOCIVS commissum obeundo laborem,
Tunc primùm deducendi Simeonis ad arcem
Multanicæ sedis: quo iam præuenerat agmen
Turcarum, Radulam cupiens in sede locare,
Sicq́ volens armis quæsito obsistere iuri
Sarmatico: primò Turcas hinc Marte fugare,
Multaniæ lectiq́ Ducis, de gente Polona,

Sanguine Turcarum leges describere pergit.
Undequéiam versus patriam ZAMOISCIVS iuit,
POTOCIVS Targouiciam rectà inde petebat.
Quod postquam tumidi Turcæ sensêre, minarum
Legatos mittunt plenos: Radulamq; tueri,
Ac Lechos ingressu vrbis prohibere paratos,
Se referunt. Sed res potiùs, non verba requirit
Mars rigidus: cuius fultus conamine tendit
POTOCIVS. sic iam cernentes proxima Turcæ
Agmina Sauromatum (quamuis maiore præirent
Hos numero) victi primo terrore fugantur,
Ora virûm lepores galeati cernere nolunt.
Sic Targouiciæ Simeonem in sede Ducali,
Cùm veteri solito patribus natisq; triumpho,
Collocat: & quod erat totius cardo laboris,
Surgentem extremo Michaelem robore priuat.
Nam veluti languens violentis ictibus anguis,
Sit licet extenso contusus corpore totus,
Sit licet in varias, dissectus denique partes,
Si capiti saltem à funesto vulnere cauit:
Multa nocere potest nihilominus, atque cruento
Exerit ore, minans mortem, lethale venenum.
Sic angui Michael similis, dissecta suorum
Membra vidẽs, caput ipse tamen leuat, atq; resumẽs
Iam bene compressos ausus, cum milite lecto
Extremo qualem vix iam conduxerat ære,
Vi desperata Targouiciam petit, omnem

Pro pa-

Pro patria amissa casum tentare paratus.
Talia POTOCIVS postquam persensit, inhæret
Exemplo Zamosciano: nam castra relinquens
Nocte sub obscura properat cum gente sub hostem,
Post Ardziß villam & fluuiũ, tunc forte morantem.
Nox erat interea niueis asperrima ventis,
Atque gelu stringens ingenti frigore membra,
Ut fit in his terris, sexta radiante Decembris
Luce Kalendarum. quod maius, fluminis unda
Traiicienda fuit scapulis tenus: unde vel asper
Horror membrorum, vel mors metuenda fuisset,
Non benè vestito pediti: sed cuncta, Polona
Hæc virtus vicit, pro laude, subire parata,
Aspera cuncta, hyememq; imbresq; famemq; sitimq;.
Ergo traiectis Ardziß fæliciter vndis,
Stricta gelu, belli feruore resoluere gestit
Membra, feroxq; animis conclamat ad arma iuuẽtus.
Arridet paßim resonans, hinnitus equorum,
Arridet radiis oriens aurora coruscis.
Instruit hinc acies, placido POTOCIVS ore,
Ac inuectus equo partes discurrit in omnes,
Ad cuius nutum loca mutat feruida pubes.
Diuersus diuersa situs, certamina poscit.
Pars leuioris erat pugnæ, tentare parata
Primam fortunam, primosq; subire labores:
Partim bombardis, partim decorata pharetris.
Pars hastis infesta ferocibus, obuia quæuis

Asperiora

Aſperiora potens rigido diſrumpere nixu.
Pars pedes igne ferox, gladiis præcinctaq; curuis,
Cum qua tardanti greſſu tormenta vehuntur,
Aenea, multiplicem ſonitu generantia mortem.
E contra Michaelis ouans exercitus, omnem
Spem locat in numero (ſuperabat namque Polonos
Quintuplici ratione) loco fiditq; benigno.
Vdra fuit belli princeps, in fronte locatus:
Baban in inſidiis, obſcura in valle latebat,
Ipſeq; poſt montes Michael, tunc hæſerat, armis
Non fidens vllis. Sic dux & miles ineptus,
Mauult obiectu ſeſe deffendere montis
Vnius: armatum triplici quàm pectus aheno,
Hoſti ſanguineis armis offerre furenti.
Vt ſonuêre tubæ diuerſa voce canoræ:
Vt creber tonuit ſparſus per timpana rumor:
Lechi fulmineis inuadunt ictibus hoſtem.
Qui dum proſtratis ſociis ſuccedit, amaram
Haſtarum funeſto excœpit corpore ſiluam:
Siluam, Multanos quæ ſic diſperſit vt Eurus
Infeſto cumulum palearum flumine ſpargit.
Inſiſtunt equites peditesq; ferocibus armis,
Diuerſos colles ſectoq; cadauere replent.
Debetur meritò, vindicta rebellibus atrox.
Ellapſos mortem rara ceruice reiectum
Hærens poſt montem, hoc Michael clamore petebat.

Dicite

Dicite causa fugæ quæ sit, quam præpete cursu
Arripitis? dicunt: Abiisse putauimus hostes,
En securi ab iis inuadimur, omnia plena
Prata cadaueribus nostris. interrogat ille:
Quanti sint cæsi? respondent: quos tribus annis
Aegrè consumet Multanica bruta canum vis.
Tunc risum vultu contraxit, ferreus olim
Bellator, factus fortunæ risus, ab alta
Illum quæ statione, locum detrusit ad imum.
Fortunam scitè tractes, quicunque secundo
Per callem incertum salis ad fastigia cursu.
Vltima sed nec adhuc Michaelis pœna scelesti:
Vix etenim hæc pertransit, & altera protinus instat.
Labitur excelso qui culmine, semper habere
Peiorem solitus primis, in fine ruinam.
Mandat POTOCIVS, fugientem parte sequantur
Qui varia: spes certa, prout bona perdidit, ipsa
In persona etiam, passurum extrema malorum.
Denuò sic castigati subdunt sua colla,
Accisi sed iam maiori parte, rebelles
Multani. Fausti quos prima pericla coercent.
Post tam magnificũ POTOCI & nobile bellũ,
I læto auspicio rutilantia sidera scande:
I reple mundum fama, qua fidus Achates
Repleuit: Zamoscianæ & sic gloriæ adhære,
Hesperus vt roseo soli rubicundus adhæret.
Viuit nam viuit victoria, quando Scytharum

Millia plus centum, gentis vix quinque Polonæ
Millibus, ad fluuium Cocoram, ZAMOISCIVS ausu
Planè incredili vicit: captumq́ Ducatum
Restituit patriæ: ac primus subiecit eundem
Hieremiæ, lecto de nobilitate Polona.
At viuet quoque POTOCI tua gloria: nam dum
Hieremiam vellet solio detrudere Rozwan:
Te duce vix vno vidit sua millia septem
Deleri penitus, palo solusq́ pependit.
Stat Zamosciani facti stat fama, perenne
Ac eius lumen, strato ex Michaele tyranno
Quæsitum: nec adhuc concreuit sanguis, abundè
Ex hostis scelerum sociis fusus: tua quando
Ingens dexteritas belli resplendet, eodem
Ex Michaele, tuo victrici parta labore.
Quare Sarmatici fælicia lumina regni,
Tuq́ pater patriæ, tuq́ inclita gloria matris,
Viuite fælices, laudem & cumulate Polonam.
Virtus vestra precor, tam longo splendeat æuo:
Tempore quàm longo lumen durabit in orbe.